



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

LIII. De episcoporum ordine, vt qui posterius ordinati sunt, prioribus se non audeant anteferre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

Sitiphensis dixit: Quæ recitata sunt Decreta, quoniam ratione non carent, & sunt approbata cunctis, etiam & meæ paruitati hæc placent: quæ quidem propria subscriptione firmabo.

ANNO
CANONIC
414.
placuit,
& statuta
sua manu
cõfirm-
uimus.

LIII.

In Cõcilio
Mileuita-
no, cap. 13.
Cod. Can.
cap. 87.

Valentinus episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea quæ præterito tempore in ecclesia Carthaginensi gesta sunt, & subscriptionibus fratrum firmata claruerunt, & iam nos * hæc seruatu-
ros esse profiteor. Sed illud scimus, inuiolate semper mansisse ecclesiasticam disciplinam, ita vt nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone-
re, sed officiis caritatis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus gratanter semper acciperetur. Hunc ordinem iubeat sanctitas vestra melius vestris interlocutionibus roborari. Aurelius episcopus dixit: Non decuerat quidem vt hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsideratæ mentes quorundam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed & communis hæc causa est, quam insinuauit frater & confacerdos noster, vt vnusquisque nostrum ordinem sibi decretum a Deo cognoscat, * & vt poste-
riores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re dico (prout captus animi mei retinet) eos qui putauerint, spretis maioribus, aliquid præsumendum, competenter ab omni esse Concilio coercendos. Xanthippus episcopus primæ sedis Numidiæ dixit: Audiuit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris & confacerdotis nostri Aurelii. Quid ad hæc responderunt? Datianus episcopus dixit: Quæ maiorum

* ex hoc

* ne posteriores anterioribus se præferant.

ANNO CHRISTI 414.
decreuit sententia, nostro assensui mancipabuntur, vt quæ præteritorum Conciliorum gestis tenentur Carthaginensis ecclesiæ, nostra assensione plene apud omnes firma teneantur. Vniuersi episcopi dixerunt: Hic ordo & a patribus & a maioribus seruatus est, & a nobis, Deo propitio, seruabitur, saluo etiam iure primatus Numidiæ & Mauritaniæ.

De archibo & matricula Numidiæ.

DEINDE placuit omnibus episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, vt matricula & archibus Numidiæ apud primam sedem sit, & in metropoli, id est, Constantina. Archibus pro archiuis.

LIV.

De Quodvultdeo etiam Centuriensi (quoniam aduersarius ipsius cum se petisset introduci ad Concilium nostrum, interrogatus vtrum cum eo vellet apud episcopos experiri, primo promiserat, & alia die respondit hoc sibi non placere, atque discessit) placuit omnibus episcopis, vt nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec causa eius, qualem potuerit, terminum sumat. Nam adimi ei episcopatum, antequam causæ eius exitus appareret, nulli Christiano videri iure potuisset. Cod. Can. cap. 87.

L V.

De Maximiano autem Bagaiensi, & ad eum, & ad ipsam plebem placuit de Concilio literas dari, vt & ipse ab episcopatu discedat, & illi sibi alium requirant. Cod. Can. cap. 88.

LVI.

Deinde placuit, vt quicumque deinceps ab episcopis ordinantur per prouincias Africanas, literas Et in Miluitrano cap. 14. Cod. Can. cap. 89.